omnem processum iuris ordine usque ad gradum intromissionis in eandem Summam obtinuisse. Quoniam autem idem Lodovicus Fiora conqueritur Fid. Tuam eam Summam illi extradere nolle propterea quod rigore Privilegii Sui Jurisditioni civili non pareat, Lodovicus autem Fiora apud Judicium Civile per homines possessionatos pro impetitione quarumcunque personarum satisdare coactus est. Ideo Fid. Tuae Mandamus ut eandem pecuniam eidem Lodovico Fiora adiudicatam et hominum possessionatorum cautione assecuratam eidem Lodovico iure victori extradat neque hominem extraneis occasionem ullam relinquat de se coram nobis conquerendi. Pro gratia nostra officiique sui debito

Litera Moratoria

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum nobis certo constaret Egregium Stanislaum Popielarczik Artium Baccalaureum una cum Uxore Sua in magnam adversae fortunae inclementiam nulla ipsius culpa verum multis et variis adversis casibus maxime autem ob conflagrationem domus Suae ac difficultatem exactionis debitorum suorum a plerisque hominibus extraneis incidisse ita ut iidem coniuges creditoribus Suis solvendo esse non possent ad nosque in hoc fortunae Suae naufragio supplices confugerent faciendum nobis esse existimavimus ut rebus afflictis utriusque illorum Subveniremus. Ideo memoratum Stanislaum Popielarczik Uxoremque eius in patrocinium et protectionem nostram Regiam Suscepimus Suscipimusque per praesentes eisdemque literas nostras Moratorias damus et concedimus atque illos ab impetitione molestationeque quorumvis creditorum ratione quorumcunque debitorum per eos contractorum ad decursum unius anni a data praesentium computandi liberos esse volumus. Itaque literis hisce nostris Securi ubique in Regno et dominiis nostris tuto versari negotiaque Sua honesta et licita agere poterint, neque ante decursum unius anni cuique debitorum nomine respondere tenebuntur personis rebusque illorum per omnia salvis. Volumus tamen ut praesens nostra concessio eisdem Stanislao Popielarczik Uxorique eius nonnisi adversus homines conditionis et Jurisditionis civilis non autem contra nobiles serviat. Illique interea bona Sua in damnum creditorum non dilapident. Quod ad omnium quorum interest notitiam deducimus. Simulque Mandamus ut literas et concessionem nostram praesentem in omnibus observent ab aliisque observari curent.

In cuius rei etc.

Confirmatio literarum

Sigismundus etc. Significamus etc.

Exhibitas nobis esse nomine et ex parte Nobilium Martini Haz et Annae coniugis ipsius literas Pargameneas infrascripti